



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput V. De muliere, quæ tempore, quo regulares persequabatur, infirma
sacta mortua est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

tante (licet nulla aëris inclementia appareret) attamen tonitrua valde terribilia, quorum simile vix unquam à me aut ab alijs auditum fuit, insonuerunt, quod tonitru suâ vehementiâ superveniens unum de caballis illius Militaris, qui Westphalorum præcipuus habebatur, cum sessore suo in terram prosternens caballum velociter interfecit, lancea verò, quam sessor dicti caballi post Dominum consueto more duxit, in subtilissimum pulverem comminuebatur: quo peracto dictus Canonicus mitius præ cæteris in comminationum litteris scribens, mitius etiam in horribili facto secum actum fuisse expertus est; nam licet ejus caballi periculum mortis evaserint, tamen in tantum debilitati sunt, ut gressum facere non valuerint; tertius, qui litteras dicto Monasterio transmisit, post hoc horribile factum de caballo cecidit, brachiūque fregit. His explicatis audiatur nunc consolatio Prioris supradicti. Etenim Westphali visis tot miraculis tanto timore perculsi erant, ut nuntium ad dictum Priorem mitterent, ut eos accedere dignaretur humiliter petentes; qui dum ad eos jam pervenerat, non exiguam humanitatem eidem exhibentes pacem inter ipsos, & Monasterium B. MEINULPHI firmiter se observaturos promittebant, quod & factum fuit, quia non solum supradicti Westphali, sed etiam Brekenenses ob præfatum horrendum factum manu violenta dictum Monasterium invadere metuerunt, ne similis aut major vindicta de cælis super illos eveniret, & idcirco tam firmum pacis fædus inter illos sancitum fuit, ut ne quidem jumenta illorum, ut antea factum erat, raperent, aut rapi permitterent; postquam autem præfata pax per dictos Westphalos, & eorum adjuutores in Monasterio B. MEINULPHI oretenus expressa fuit, ecce tres caballi, de quorum ulteriori sanitate desperatum erat, pristinam sanitatem receperunt.

C A P U T V.

*De muliere, qua tempore, quo Regulares persequabatur,
infirmata facta mortua est*

Cujusdam Militaris uxor quadam vice minus rationabiliter super Canonicos Regulares Monasterij B. MEINULPHI graviter turbabatur; Hoc dum Subprior Monasterij B. MEINULPHI nomine

mine *Hermannus* in absentia sui Prioris perceperat, timens ne ex parvis magna damna dicto Monasterio evenirent, in locum sibi assumpto accessit mulierem, sed heu post nostra cum ipsa facta colloquia (quia terra quodammodo indurata imbrem non suscipit) eandem à sua duritia nequivimus coërcere, nec mitigare dictam mulierem, deinde B. MEINULPHUS ad ulciscendum se de adversariis Fratrum sui Monasterij cuidam devotæ personæ auratus apparebat, circa præfatæ visionis tempus prædicta mulier virum suum ac filium contra dictum Monasterium incitaverat, de quo non exigua turbatio Regularibus fuit exorta, & cum jam de Castro, quod & ipsa inhabitaverat, ad unum de vicinis propè Castrum habitantem descenderet, & multa comminatoria, & injusta verba in supra dictos Regulares loqueretur, ab hujusmodi stultiloquio compesci non potuit, ignorans, quod pœna in malo suo perdurantem sequeretur; nempe illam, quam eadem ejus vicina à suo stultiloquio compescere nequivit, ut cessaret ab inceptis temerarijs verbis, & propositis, pius Dominus, qui frementi mari terminum suum ponit, quem transgredi nequaquam valet, os ejus celeriter refrænavit, nam quàm citò ad Castrum à prædicta sua vicina reversa fuerat, hydropica pestis tam graviter eam oppressit, ut deinceps ab eodem Castro suo ne vel pedem ponere potuerit, & ingravescente morbo vitam suam (prout illis moris est, qui B. MEINULPHI domum minùs justè persequuntur) miserabiliter terminavit.

C A P U T VI.

Infirmi prolongatio vitæ petebatur, & petitio ex iudata est.

AD honorem B. MEINULPHI Levitæ Christi audiatur subsequens miraculum, quod ejus pia intercessione apud DEUM accidisse creditur. Anno incarnationis Domini M. CCCCLV. ipso die B. Lucie Virginis Colonus quidam nomine *Hermannus Thoniges* inhabitator villæ *Brencken* Domino DEO piè disponente improvise, & subitanè infirmabatur; quia infirmitate perdurante agonizans putabatur, & quia pastor villæ *Brencken* pro quodam negotio

P

Pader-